



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118561**

§. 98. Cæsar Hassiæ Landgravium libertati reddere rogatus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

Sæcul. XVI. hisce pactis fuit adjectum, quod videatur e re omnium esse, ut Rex quamprimum Cameracum, si possit, Diviodorum, sive Metim, Tullam, & Virodunum Lotaringiæ civitates occupet, & præsidio firmatas sub Vicarii Imperii nomine in posterum teneat, nec non bellum in Belgio excitet, quo Cæsaris vires pluribus locis oppugnati distrahat. Postremo a fœderatis promissum, se deinceps pro tanto beneficio Regem amici & parentis loco habituros, eique vicissim in conservandis provinciis sibi aut majoribus suis ereptis præsto futuros, & omni ope enixuros, ut ipse in Cæsarem eligatur.

Hæc clam die octavo Decembris fuere sancita, quæ postea Galliarum Rex Campoburgi die decima sexta Januarii præsentem Alberto Brandeburgico rata habuit.

## §. XCVIII.

*Cæsar Hassiæ Landgravium libertati reddere rogatus.*

*Thuan. l. c.  
Sleid. l. 23.  
p. 836.*

Cuncta hæc religiosa taciturnitate premebantur, cum interea Cæsar Oeniponti ageret, quo pariter Daniæ, ac Saxonix, & Brandeburgi Electorum, necnon Hassiæ Landgravii Oratores advenierant, ejusdem Landgravii libertatem sollicitaturi. Ineunte ergo Mense  
De-

Decembri hi Carolo Cæsari perdemisse Sæcul. XVI.  
A.C. 1551.  
supplicem porrigunt libellum, cujus tenorem Sleidanus sat prolixè recenset. Præprimis enumerabant ea omnia, quæ captivitatis initio gesta fuerunt, simulque Mauritii Electoris, ac Brandenburgici Marchionis nomine ostendebant, quod absque injustitiæ nota haud diutius captus detineri posset, totaque hujus severitatis causa in Cæsaris Ministros reiicienda foret. Postea exponunt, quod Imperator propriæ suæ, ac Germaniæ Principum honori, atque existimationi labem inureret, quapropter illum rogabant, ut haud iniquo ferret animo, quod suis precibus hucusque frustra adhibitis, demum ad favorem, ac Principum patrocinium, cujus ipsimet hi Oratores testes existunt, recurrere voluerint, ac tandem id, quod adeo impense petierunt, impetrare studerint. Sub idem tempus legebantur literæ, quibus Ferdinandus Romanorum Rex, Bavarix Dux, necnon Luneburgenses Duces pro Landgravio Cæsarem deprecabantur, mox vero Electoris Palatini, Bipontinorum Ducum, Joannis Brandenburgici Marchionis, Henrici, & Joannis Megalopolitanorum Ducum, Marchionis Badensis, ac denique Wittembergici Ducis Oratores ad Cæsaris alloquium admittebantur.

Pa-

Sæcul. XVI  
A.C. 1551

Pariter Daniæ Rex per Legatum suum eo missum Imperatori libellum supplicem pro Landgravio offerebat.

§. XCIX.

*Cæsaris responsum ad Principum preces.*

*Steidan. l.  
23. p. 841.*

Ad hæc Cæsar interjectis aliquot diebus hunc in modum Legatis respondit: „cum hoc negotium sit arduum, „& deliberationem postulet, deque „Mauritio sit interim apud me facta „mentio, quasi gravibus aliis de causis brevi sit ad me venturus, ita quidem, ut datis ad eum literis, illum „indies expectem, ideo, quod illo „præsente rem commodissime tractari „posse putem, eoque volo differre: „ad vos vero quod attinet, consultum „censeo, ut domum, & ad vestros redeatis Principes, eisque meo nomine dicatis, me deprecationis ab eis factæ futurum esse memorem, & ita rem acturum, ut intelligere possint, ipsorum commendationem non parvum apud me pondus habuisse.

Verum Mauritius Elector Cæsarem non adiit, unde Landgravius adhuc in sua captivitate hæerere cogebatur.

§. C.